

# C L E M E N S . P A P A

O S O C T A V V M S .



**A**D futuram rei memoriam. Cum sicut nobis exponi fecit dilectus filius Iulius Burchionius Bibliopola in Vrbe librum vulgari idiomate compositum vulgo il Trinciante di Vincenzo Ceruio, & di Reale Fusoritto nuncupat. multis additionibus, & figuris ornatum, ac nouissime auctum cum dialogo eiusdem Realis vulgo il Maestro di Casa Typis condi facere intendit. Nos eum specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes. Supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dicto Iulio, ut durante decennio proximo, a prima cuiusque operis, seu voluminis presentis editione computando, nullus praeter eos, qui a dicto Iulio vel suis heredibus, ac successoribus, causam vel licentiam in scriptis habuerint, volumen huiusmodi, dummodo tamen a dilecto filio Magistro S. P. examinatum, & approbatum fuerit, in alma Vrbe totoq. statu Ecclesiastico nostris imprimere, aut alibi impressum vendere, aut venale habere, vel proponere possit, auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea sub quingentorum ducatorum auri de Camera pro vna ipsi Camera nostra Apostolica, & pro alia accusatori & Iudici exequenti, & pro reliqua tertijs partibus dicto Iulio, aut suis heredibus, ac successoribus praefatis applicandorum, ac alijs arbitrij nostri poenis, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, praesertim vero Bibliopolis, ac librorum impressoribus, ne dicto durante, decennio librum huiusmodi, aut quamcunque ipsius operis, seu voluminis partem, tam in paruo quam in magno folio, aut alias quomodocunque in Vrbe, totoq. statu Ecclesiastico, praefatis sine speciali dicti Iulij, aut suorum praefatorum licentia, ut praefertur in scriptis ob-  
tenta imprimere, aut impressa vendere, seu venalia habere, vel tenere quoquo modo audeant, seu praesumant. Mandantes propterea dilectis filijs Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Praetoribus, ac alijs Iustitia ministris, ut quando & quoties pro parte dicti Iulij, seu suorum praefatorum, fuerint requisiti, eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, eadem praemissa inuiolate obseruari, ac in contravenientes praefatas poenas irremissibiliter exequantur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis confirmatis, & innouatis, caeterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu Notary Publici, & sigillo alicuius personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eademq. praesentibus ipsis fides, ubique in Iudicio & extra adhibeatur. Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris Die vj. Octobris 1593. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

M. Vestrius Barbianus.

